ORATIO DE LAUDIBUS THEOLOGIAE HABITA IN ECCLESIA...

Giacinto Gucci




MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA
DI FIRENZE
1010
24
NAZ. CENTRALE


ORATIO
DE LAVDIBVS THEOLOGIAE
HABITA IN ECCLESIA SANCTISS. TRINITATIS FLORENTIAE

Decimotertio Kalendas Nouembris, iussu, & auspicijs Domini Fidelis de Corsettis Ordinis Vallisumbrosæ Doctoris Theologi, ac tum temporis Theologorum Decani,

A D. Hyacintho Guccio eiusdem Ordinis.







FLORENTIAE,
APVD BARTHOLOMAEVM SERMARTELLIVM,
ET FRATRES. MDCXIIII.

ORATIO
DE LAVDIBVS THEOLOGIAE
HABITA IN ECCLESIA SANCTISS. TRINITATIS FLORENTIAE

Decimotertio Kalendas Nouembris, iussu, & auspicijs Domini Fidelis de Corsettis Ordinis Vallisumbrosæ Doctoris Theologi, ac tum temporis Theologorum Decani,

A D. Hyacintho Guccio eiusdem Ordinis.





DIFFICILEM admodum, ac laboriosam mihi delatam prouinciam (inclite cõsessus) scilicet laudes Theologicæ scientiæ pro rostris acclamandi, cum sępiùs mente reuoluerem, frigidus timor illicò per præcordia obrepens ab incœpto, vt quàm citiùs desisterem, admonebat, quatenus tantorum virorum maiestati parem afferre animi magnitudinem, ac tantę Theologorum ac sapiẽtum coronę me haudquaquàm satisfacere posse confiderem. Missam facio huius facultatis amplitudinem, de quà quidem (non secus ac Diuo Augustino de Trinitate scribenti contigit) exsiccare maria mihi differenti oppidò facilius foret; quotusquisque enim homo ingenij est, licèt mirabi-

ab ipſa an differat haud dignoſci queat. Dicite, oro vos, viri ſapientes, qui ab ineunte ferè ętate eam cõplexuri conquiſiuiſtis, nonnè tabulam intellectus veſtri abraſam, ac vndequaquè penitùs perpolitam, cum primùm lineis huius diuinæ ſcientię, nullis catenùs lituris inficiendam decoraſtis, nonnè inquam diuinum quippiam induiſtis? inde vobis exactiſsima munia, primæ ſedes, officia, dignitates in explicandis ambagibus ad vos recurſus ſępiùs contigit; ſed quod plurimi fit vera cognitio rerum, de æterna patria germana loquutio, ſupernorum ſpirituum quã crebertima adloquutio, cœleſtium arcanorũ perfecta reuelatio ac veri Dei optima agnitio, non paucis huius ſcientiæ aſſeclis facta eſt. Potuit (fateor) inuidus ille ſerpẽs, humanæ reipublicę hoſtis antiquus, ficta naturalis ſophię perſona decorus, miſeros vndequaquè mortales per labyrinthaeos anfractus ludibrio traducere, & faucibus atrociſsimæ beſtię, propriæ ſentẽtiæ falſitate deceptos abſorbendos allicere; cum beſtiarum, altilium, ſerpẽtum, ac cęterorum millium portentoſa numina, poſthabita veri Dei latria, honore cœlico proſequi, illis ſacrum ignem accendi, incenſum offerri, thymiama litari imprimis compulerit; ſed vbi primùm orbis ſeruatorem, ac huius ſcientię largitorem aduentaſſe comperijt, cũctis viribus deſtitutus eſt; quippè qui propria arma retundi, & virium ſuarum iacturam fieri, ſi huic, per quã verus Dei cultus reuiuiſcat, operam mortales nauent, dignouit quamoptimè. Nec ſatis fuit tartarea monſtra, deteſtabili prole fœcunda, diuerſis partubus impios Neſtorios, ſacrilegos Vigilantios, hęreticos Manichęos, ac cẽtum his ſimilia teterrima monſtra, vt huius veritatis dignitatem peſſum pro viribus darent, ac Maieſtatẽ eius, ſpurciſsimis blaſphemiarum periurijs delibutam cœno immundo vſquè ad internecionem obuoluerẽt, enixa eſſe; Etenim optimam filiam in virginalibus diuinis clauſtris, ęterno puerperio conceptam, imperſcrutabili partu ędictam, ac in mundum, vt inter Deum, & homines indiſſolubile amoris fœdus pangat, ab intimis penetralibus dimiſſam, impijs manibus tàm turpiter attrectari, immundis labijs tam impiè agi, virginali flore tãquàm deſtitutã inter mortales diſtineri, & id Deum conſultò reticere nuſquàm credendum eſt; quin inconcuſſę veritatis ſtẽmate, tanquam gentilitio decoratam, virorum fide fortiũ, charitate ſplẽdentium, ſcientia micantium multiplici ſtipatam caterua, ceu Dauidis turrem ſilice angulari fundatam milliũ clipeorum hoſtili ſpolio inſignitam, contra impiam Damaſcum, nempè hære-

ti orum sedem, respicere curauit. O fortia lumina, ad quorum solum intuitum exterrita inimicorum agmina profligantur. Dicite vos huius veritatis testes vrbes Ierosolimorum, & cęteræ quę statim ac Theologicarum assertionum theses, labijs illustrium virorum dilucidatas audistis, subitā inimicorum Dei depressionem, actibus conciliorum peractam, quamcitiùs vidistis. Agite, vbi sunt veteres illæ hæreticorum sententiæ, quæ vbi primùm adoleuere, neutiquè viriles factę, ad Theologica trofea multiplicāda prognatæ videbantur. O solam præ cæteris imperio dignam Theologiam. Tu suauis Zephyrus quo catholica nauis, mercibus cœlestibus referta, longè à Scyllæ & Charybdeos scopulis, raptas vorantibus, ac fractas reuomentibus carinas, per vastū pelagus vehitur, dulciter admodùm, ac perutiliter afflans. Tu firmissima columna, qua templum Dei, nullam diuturnitatis iacturam vnquam perpessurum, fulcitur, ac regitur, immobilis permanens. Tu regis gloriæ thalamus, in quo verus Salomon in stratis eburneis requiescit, sexaginta viris fortibus, ad nocturnos hęreticorum timores propellendos, ambitus ac circundatus. Tu immensę Trinitatis thronus altissimis illius operibus, tum intimis quùm exteris pręfulgens, ad cœlestia dona, nobis adhuc atra caligine obductis, impertienda potissimum paratus. O quàm gloriosè mihi factum est hodie, cui, dum huius diuinæ facultatis celeberrimam memoriam, æternitati quammaximè iūctam, ad calculos reuocare contendo, summo Deo, summas gratias, ob maxima in me collata beneficia, peragere contigit. Quotusquisque enim tantę stoliditatis homo est, qui filium egregia indole natum, optimis moribus adultum, insigni expectatione virum celebrās, patris gloriam haud reticere non agnoscat? Eia, agite, si alicuius nobilissimę fœminæ laudes dicatis, nonne à patria, parētibus, & ipsius pulchritudine exordiū sumetis? porrò si huius patria, parētes, ac species extollenda est, Deum quidem, à quò omnia bona sua se percepisse fatetur, laude cumulabimus. Hæc mira, & immensa nobilitas est, quę non poëtarū carminibus, non annalium monimentis, sed suimetipsius meritis expenditur. Deficerem, herclè in via, si immensum hoc iter, scilicet præclarum Theologię panegyricum imprę sentiarū clamando, emetiri satagerem, præsertim cum de maxima gloria, & nobilitate, qua quis eam posśidendo cohonestatur, sermo mihi futurus sit.

Trahimur omnes laudis studio, & vnusquisque maximè gloria duci-

ducitur; quod, vt obtinerent, alij auorum stemmata obliuioni iā tradita, alij militiæ insignia, parentum sanguine parta diligentiùs disquisiuere; mihi verò id medijs virtutibus assequi satius probatur, quod quidem tanti fecerunt, qui primęuam ætatem incoluere, vt Pytagoras Samius proprijs laribus derelictis per Aegyptum, Cretam, ac Lacędemonem, ad illius oræ sapientes inuisendos, iter habuerit; Plato Italiam, & Aegyptum ex Athenis percurrerit. Apollonius item Tyaneus longinquissimas regiones peragrauit; tanta, enim est sapientiæ dulcedo, tam gloriosa possessio, tam vtilis exercitatio eius, tam diuinus amor fructus illius, tam secura quies in eius contemplatione, vt omnes homines eam adipiscendi, vel naturali desiderio teneantur. Per hanc scientiarum, & disciplinarum inuentores, nomē deorum adepti, quòd scilicet beneficio humano generi exhibito, & propria excellentia dij viderētur, tametsi quòd alieno dono fruerentur, à Deo optimo maximo multum differrent; apud homines, qui sępius falluntur imagine recti, ęternę ac summæ potentię dignitatem sibi comparauere. Cedò quæ maior gloria, post hominum memoriam, vel visa, vel audita, vel quęsita est, quæ virtutum, ac literarum nobilitati comparata huic dextram non porrigat? Non igitur mirum est, si Macedonum magnus ille Imperator Alexander Homeri opera, quæ nempè ęternitate digna cum animaduerteret, obscuro, ac sordido loco, tinearum dentibus demolienda non finit, sed scrinio, quo Darius Persarum Rex prętiosius omne asseruare solebat, gloriosius conclusit? Ommitto prudens quantam gloriam sibi vindicatam adiudicauerit Ptolemeus ille Philadelphus, qui bibliothecam, vbiquè terrarum memorandam, libris vndiquè maximis prętijs cōquisitis refertam, ac pluris regno æstimatam, construxit, in qua septingenta millia Codicum volumina coëgisse memoriæ proditur. Quid dicam de statuis, obeliscis, arcubus, mausoleis, monimentis, ac penè infinitis tropheis, soli virtuti, & scientiarum cultoribus, nulla temporum iniuria vnquam collabendis, permagnificè erectis? Beroso Astrologo, quòd prædictiones eius veræ essent, statuam cum lingua aurea Athenienses in gymnasio posuêre. Phalaris tyrannus Stesichorum Poëtam, qui in eum iniuriarum non minimo conuicio debacchatus fuerat, cum captiuum haberet, ac in malam crucem abductum comminatus fuisset, liberum reddidit, plus sapientiæ soli tribuens, quàm potentiæ, quàm vindictę, quàm iniuriæ, quàm iracundiæ.

Pin-

quo incomparabilitèr in discipulos tanto maior, quàm in cęteros quosque qui sibi mortales adsciscunt Magistros, dignitas dimanat; quanto quisque inexhaustum diuinę sapientiæ fontem, vel minimis riuulis præponit. Quid audiri potest mirabilius? quid videri iucundius? quid obtineri suauius?

Agè nunc illa videamus, quæ in hac scientia vtilitati, prouentui, ac fructui maximè conferunt. Quòd vnumquodque sit de sua salute solicitum natura instinctu quodam cunctis viuentibus tribuit; verum enimuerò os homini sublime dedit, cœlumque videre, iussit, & erectos ad sydera tollere vultus, sic cecinit Poëta; vt differat à iumentis, quæ ad terram prona, ac ventri obedientia finxit, eò scilicet, quòd humana salus longè quidem à corpore, ac cœlesti beatitudini iuncta, tota in visione Dei, nunquam deficienda reponatur. Sed bone Deus, licet thesaurum hunc incomparabilem nostrę salutis, venam indeficientem tuæ gratiæ, Mare inexhaustum tuæ gloriæ in extremis Paradisi finibus, difficillimè consequenda, posuisse videare, attamen altissimam scalam, purpura tui sanguinis rubricatam, ligno, cui affixus fuisti affabrè factam, mille gradibus tùm virtutum, quùm pręceptorum locupletatam, sanctam nempè Theologiam, qua cœlum scandere, & inaccessa gloria potiri valeamus, nobis amicè dedisti. Estò disertissimè cœtus, quid vobis potissimum, cùm Philosophiam perdiscitis vt illam cum gaudio, & spe prouentus retinere cogamini, ob oculos proponitur? profectò scientia naturalium, scilicet motus, & quietis, & cęterorum, quorum dum naturam noueritis, vitam amittitis; at in hac, si optimè possideatur, cognitio ob mentis oculos describitur veri Dei, cuius dũ voluntatem perficitis, vitam lucramini. Iuret igitur vti libet in verba Aristotelica Peripatheticus discipulus, & mordicùs vti volet, dogmata Stagiritica sustineat; mihi enim est tanti, sanctam doctrinam docendus, inter tirones huius incliti collegij cooptari. Sed vos fœlices, ac terquè quaterquè beatos viros Theologos, qui sapientiæ dixistis soror mea es, & prudentiam vocastis amicam vestram; rati, nec falsò, immensam gloriam, & mundanam, & cœlestem quęstuosę beatitudini iunctam fore vos consecuturos. Sint sanè ergò illa magna de cęteris scientijs iactata, quæ re vera magna sunt, de iudicio tamen ingenij mei, vt volet quisque iudicet, ego enim hanc cęteris omnibus antepono; nempè quòd extrà omnem ancipitis aleæ iactum posita, totum desideriũ hominis (alioquin inexplebile) perficiat, & adimpleat:

quip-

quippe quæ in summis, & excelsis verticibus cùm sedē habeat, de rebus magnis loqutura paruulos astutiam, & insipientes prudentiam docet, cuius guttur veritatem meditatur, & labia detestantur impium. Melior est cunctis preciosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari: Illam comitantur diuitię, & gloria; cuius fructus melior est auro, & lapide pretioso, & genimina eius argento electo. O nunquam satis laudatam, ac cœlebratam scientiam. Tu mysticus hortus cunctis floribus odorem eructantibus, suauitatem redolentibus, summam fragrantiam erumpentibus condecoratus, in quo summi rector Olympi, non ad auram post meridiem, vt peccantem Adamum gratia spoliet, iratus graditur, sed vt pascatur in hortis, vt lilia colligat, vt myrrham absinthio mistam metat, vt nouum hominem gratia nutriat, & gloria fulciat, iucundissimè deambulat. Tu hortus conclusus, in quem exterritus ob spineam maceriam impius hęreticus non irrumpit, vbi Christus verus botrus expiationis, in valle fœlicitatis, vel incisionis exortus, nunquàm amarissimis botris hęreticorum in vinea Sodomorum genitis, & in suburbanis Gomorrhæ editis, commiscendus, diligentius asseruatur; qui in torculari cruceo compressus, vinum, non vt fel draconum, vel vt venenum aspidum insanabile, sed tam dulcem, tā suauem emisit, vt in ipso prius abluta, deinde inebriata Ecclesia clamare non desistit, quia amore languet. Tu verè es fons signatus, incorruptas, limpidas, ac puras tanto gloriosius aquas asseruans, quanto diligentius occlusus, ac addito sigillo obsignatus, ne quis impostor eas deturpet, tantum viris virtute claris ac bonitate conspicuis, eas impertiris. En nobilissimè cœtus, quòd emissiones eius Paradisus, nempè quòd Doctores Theologi verbis suis in hunc mundum Paradisum transtulere. Gaude planè, atque summa letitia perfundere ciuitas Florentię quę tot tantisque priuilegijs, præ cęteris non tantùm Italię sed Mundi ciuitatibus condecorata cū sis; tū nihil prę stantius, nihil augustius, nihil horū virorū Collegio gloriosius intra tuos limites oculus mortaliū vidit nullus: Per hos enim agitur tuę familiæ pax, tuæ sententiæ veritas, tuę conscientię tranquillitas; Per hos augetur tuę magnificentiæ fama, tuæ gloriæ decor, tuorum finium splēdor. Ac tibi maximè Leo, qui inter Pontifices decimus fulges, pluris debet tua Florentia ob adauctum fauoribus ac priuilegijs tātum Collegium, quàm ob adiunctum suę nobilitati Pontificatū: Magis exaltat Mediceorū clarissima familia tuas laudes ob propagatam

pagatam in suis regnis sanctam Theologiam, quam ob gentilitiæ stirpi insitam papalem mitram. Sed quo non summo exultim gaudio gestiet mea Vallimbrosana religio, quæ inter tantorum virorum numerum, non solùm filios summos, & egregios Theologos vidit; sed quòd maioris est, proprijs cernit luminibus, & Theologiæ Doctores, & Doctorum principes: cuius gloriosæ nomenclaturę auctricem hanc diuinam scientiam clamãs, discendam, edifcendam, & vt ita dicam, vorandam concoquẽdam, & quodammodo in succi ac sanguinis naturam conuertẽdam, filijs suis quotidie demandare non desinit; ab hac enim optimum nomen in Ecclesijs, in cathedris, ac vbique gẽtium sibi partum, cum maximo animarum quæstu optimè intellexit. Sed quæ tanta potest esse vbertas ingenij, quę tanta dicendi copia, quod tàm diuinum atque incredibile genus orationis, quo quisque vniuersas huius scientiæ laudes, non dicam complecti orando, sed percensere numerando queat? difficilius enim esset orationis exitum quam principium inuenire. Vnde in hac mea acclamatiuncula, non tantum quę aurem vellicant, scilicet ampullas, & verba sesquipedalia proiecisse; vt grandiloqui, cũ ampla sententiarum grauitate, & maiestate verborum, vehemẽtes, varij, copiosi, graues, ad commouendos, ac peruertendos animos instructi, ac parati facere consueuere; verùm etiam & quę necessaria forent penitus non attigisse, vehementer doleo.

Quin de hac, nõ secus atque de pulcherrima virgine pexo capillo nitida, calamistro cincinnata, ac trita tunica amicta verba egisse, ac intimam formam, scilicet virtutes animi, omninò reticuisse compertum habeo. Forsan quòd tantæ ipsius Maiestati par translatorum, ac epithetorum additio inueniri nequeat.

Quamobrèm ægre ferre soleo, & latinę orationi indignari, quòd proprijs atque exquisitis nominibus exquisitissimas laudes efferre non licet, quæ tantùm penè à comunibus distãt virtutibus, quantùm fermè virtus à vitio. Verùm quod orationi deest, oro suppleat audientis intellectus, & non quod dixi, sed quod dicere debuerim accipiat.

Dicebam.





ERRATA	CORRIGE.
pag. 4. lin. 32. partus 1438	partus 1348
pag. 9. lin. 3. Hi verò	Hic verò
lin. 15. totus Theologiæ	Totius Theologiæ
lin. 22. Chiroteris	Chyrothecis
lin. 38. per vrgens	perurgens
pag. 11. lin. 33. proponant	proponantur
pag. 12. lin. 3. Dominus	Domini
lin. 5. illi ſint quam	illi ſint, qui
pag. 25. lin. 12. Albizus &c. Cal. Nou. 1539	1389
pag. 28. lin. 3. aſſeruant	aſſeruantur
Archang. lin. 1. Senis, mox	Senis 1551. mox
lin. 6. Dalmaticam	Dalmatiam
Auguſt. Phil. lin. 3. enciclepedia	encyclopædia
Barthol. Lapac. lin. 2. relatus 1488	relatus 1428
pag. 32. lin. 4. Gratia. Florentina & ad	Florentina ad
pag. 33. lin. 4. Guil. de Becch. cum dignitate	cum dignitatis
pag. 34. lin. 2. Iac. Tauant. Cal. Iul. 1565	Cal. Iul. 1556.
pag. 38. lin. 3. Michael Pociant. 1575	1565.
pag. 41. lin. 10. Scip. Amir. Obijt circiter 1600.	Obijt 6. Cal. Febr. 1601
lin. 2. Sebaſt. Tur. octauo Cal.	18. Cal.
pag. 37. lin. 1. An. Dom. 1580	1480.

